

**ANALECTA**  
**BOLLANDIANA**

**TOMUS II.**

---



EDIDERUNT

**CAROLUS DE SMEDT, GULIELMUS VAN HOOFF**

ET

**JOSEPHUS DE BACKER**

**PRESBYTERI SOCIETATIS JESU**



**SOCIÉTÉ GÉNÉRALE DE LIBRAIRIE CATHOLIQUE**

**PARIS**

**VICTOR PALMÉ, Directeur général**

76, rue des Saints-Pères, 76

**BRUXELLES**

**J. ALBANEL, D<sup>r</sup> de la succursale**

12, rue des Paroissiens, 12

**GENÈVE, H. TREMBLEY, rue Corraterie, 4**

**1883**

## Ex codice Namurc. n° 159. (2)

DE S. ANTONIO ABBATE. (Vid. Catai., cod. 159, 19°.)

Incipit translatio sancti Anthonii confessoris.

1. Tempore quo Constantius imperator regebat imperium in Bizantium civi-  
25 tate et factum est curo non haberet filios, nimisque fluctuabat : eo quod non habe-

ret cui post obitum imperium ad regendum committeret. Noctibus ac diebus  
ecclesiis adherens et jejuniis et orationibus orans et obsecrans ac petens a Deo  
sibi filium parari. Et ita ambulabat in ecclesia quae constructa est in honore hujus  
sanctissimi nominis Domini Nostri Jesu Christi Sophir \* ac in ipsa fecit oma-  
30 menta per totam ecclesiam innumerabilia, et precipue super altare ad honorem  
sanctissimi Nominis constructum. Sicque Deus compatiens ejus humilitati, lar-  
gitus est ei unicam filiam. Convocato episcopo Theophilo Constantinopoleos, post  
annos duos fecit eam in eadem ecclesia baptizari, et imposuit ei nomen idem  
episcopus Sophia, ab illo sancto nomine Sophir.

• ila mmc  
legi-tur;  
pt-ius  
Sophia.

(1) Tom. I *Analect. Boli*, p. 524. - (2) *Ibid.*, p. 528 sqq.

2. Facta igitur annorum decem puella tanta erat imbuta sapientia ut omnes loquerentur de illius prudentia, et quia erat pulchra nimis, composita facie et animo. Cum autem quadam die exiret cum aliis puellis foras in pomeriis et comederet de pomis pomerii, perrexit ad quemdam fontem, ut biberet cum dictis puellis. Illico cum aqua in ventrem ejus novem spiritus immundi subintraverunt, 5 et statim mugitus incepit tanquam bestiae faciunt emittere et fremere tanquam leones. Puellae vero quae cum ea erant fugam arripientes et stridorem mittentes, coeperunt magnis vocibus clamare : *Maxime imperator, succurre filiae tuae*. Quod audiens cum omnibus de palatio, coepit venire in pomerium et altas voces mittere et dicere : *O Creator caeli et terrae, Redemptor humani generis, succurre et adjuva* 10 *filiam meam*. Et coepit ire versus filiam suam Sophiam.

3. Ipsa vero fremebat dentibus et mugitus maximos emittebat : sed tunc immundi spiritus quieverunt. Ipse vero imperator cepit eam per manus et duxit eam in palatium. Et spiritus coeperunt fremere ; et mordebat linguam suam, et fremebat dentibus ; et non valebant eam tenere, sed omnes catenas ferreas rumpe- 15 bat, et mugiebat quemadmodum leones, pardi et tigrides faciunt ; ita ut omnes mirarentur. Tunc imperator dolore nimio repletus fecit fabricari habitaculum ferreum ; et in ipso dictam puellam ligatam recludit, ubi per quinquennium permansit inclusa, in tantum ut nullus auderet ei appropinquare. Sed Deus qui nolebat ancillam ejus perire, eam ab immundis spiritibus dignatus est liberare. Spiritus 20 autem immundi qui eam tenebant, abinde magnis vocibus per os puellae clamare coeperunt : *Anthonius, Aegyptiorum eremita, hinc nos erit expulsurus, qui nos quotidie urit*. Et ita per annum nihil aliud clamaverunt. Unde imperator maximo dolore repletus : quoniam quo nuntios suos delegaret et in quam partem Aegypti pro sancto corpore, ubi posset illud invenire, penitus ignorabat. 25

4. Eo vero in tali cogitatione perseverante, misit pro Theophilo, episcopo Constantinopoleos, et pro omnibus sapientibus sui imperii, et quaesivit ab eis diligenter si scirent aliquam scripturam de sanctis patribus et vitam beatissimi Anthonii et in quo loco corpus ejus fuisset reconditum : quia spiritus immundi qui habitant in filia sua quotidie clamare non desinunt : *Anthonius namque,* 30 *Aegyptiorum eremita, hinc nos erit expulsurus*. Episcopus vero cum aliis clericis et sapientibus videntes angustiam imperatoris, fecerunt venire omnes libros quos in Graecia de vita sanctorum patrum et eremitarum invenire potuerunt ; et in ipsis legentes, invenerunt de sanctissimo Anthonio, confessore et eremita magnifico ; qualiter ab infantia sua suum corpus Domino Jesu Christo consecraverat, et qua- 35 liter praecipit fratribus suis, quando de hoc seculo migravit ad Christum, ut corpus suum ita humi traderent, ut nulli nisi soli omnipotenti Deo et ipsis esset cognitum, et nullo tempore posset inveniri.

5. Cum haec et alia de sanctissimo patre Anthonio scripta invenissent, de certitudine illius loci et quo corpus ejus a discipulis ejus depositum fuisset aliquid 40 scire minime potuerunt. Idem episcopus Theophilus surrexit, et manu silentium indicens, ait : *Quia placuit beato Anthonio, o filii, ne aliquis sciret locum ubi positum fuisset corpus ejus, quoniam rimati sumus, et perspeximus omnes scripturas*

sanctorum patrum, neque in quo loco fuisset positum corpus ejus scire potuimus, nisi Deus per suam gratiam et magnam misericordiam nobis famulis suis revelaverit; et ideo rogo vos, fratres, et præcipio ut humilietis vos cinere et cilicio, jejunando unusquisque novem diebus cum omni oratione et timore Domini. Et una voce  
 5 ad Dominum clamemus, ut dignetur nobis famulis suis ostendere tam pretiosissimum thesaurum; ut per ipsum dignetur ancillam suam Sophiam, Constantii serenissimi imperatoris filiam, ab immundis spiritibus liberare.

6. Peracto vero noveno jejunio cum omni humilitate ac timore Domini, et quia Deus nolebat tam pretiosissimum thesaurum amplius esse absconditum,  
 40 imo ut omnibus per totum mundum luceret in aperto, et exaltaretur usque in diem judicii nomen ejus, ecce medio noctis tempore, in somnis apparuit angelus Domini imperatori et episcopo Theophilo, dicens eis: *Constanti*. Qui respondit: *Audio; quis enim es tu?* Et angelus: *Ego sum Gabriel archangelus, Dei omnipotentis nuntius. Quia semper stetisti in præceptis et mandatis ejus, ideo exaudita*  
 45 *est oratio tua et jam cælum penetravit; et veni docere te qualiter possis corpus beati Anthonii invenire, Bizantium civitatis et filix tuæ ad salutem.* Illico imperator resedit in lecto et elevans manus angelum Domini tangere ac palpate suis manibus volebat. Sed angelus non permisit; ac in adventu sanctissimi archangeli Gabrielis, ut idem imperator referebat, totum palatium resplenduit sicut sol; et ait  
 20 angelus ei: *Non licet tibi tangere me, quia ad salutem filix tuæ veni, et ideo mane cum surrexeris, convocato Theophilo episcopo, ipsum tanquam virum religiosum versus partes Ægypti cum duodecim clericis religiosis valde Deum timentibus mittere procura; quia semper cum eis ero et non timebunt fluctuationes maris et tempestates.* Et eodem modo retulit episcopo Theophilo statimque recessit angelus  
 25 Domini.

7. Mane vero surgens imperator Constantius, misit pro episcopo Theophilo et clericis civitatis et sui imperii, narravitque ei omnia quæ sibi angelus per visionem locutus est. Eodem itaque modo retulit episcopus de ipsa visione, quemadmodum imperator dixerat. Alia vero die episcopus cum duodecim clericis religiosis intra  
 30 verunt navim, psallentes et dicentes: *Dominus illuminatio nostra et salus nostra; quem timebimus?* et extensis velis cœperunt navigare contra Hierosolymam. Habebant autem prosperum ventum, nihilque fuit eis contrarium nec opus ten[dere] vela. Post septem vero dies cessavit ventus, et cœperunt navigare usque dum vires eorum deficerent. Episcopus vero cœpit confortare fratres suos, dicens:  
 35 *Fratres, nolite formidare; Deus adjutor noster est, et nautor et gubernator:* et ecce ventus prosper apparuit. Post hoc, aliis octo diebus venerunt Hierosolymam et sanctam Christi resurrectionem et adoraverunt cruce[m]. Deinde exeuntes in Bethlehem adoraverunt sanctum præsepe. Consignantes autem se, viam continuo aggredientes civitatem Alexandrinam ingressi sunt.

40 8. Post hæc autem cum mercatoribus civitatis Alexandriae prosperum facientibus iter, intraverunt Libies et venerunt via viginti dierum usque ad flumen Nili, in quodam vico nomine Effesos in partibus Ægypti, et ibi sciscitabantur ab eis ubi sanctus Anthonius cum fratribus suis ad serviendum Deo manere solebat. Inquiunt

illi: *Iu quidam altissimo nemore mansit per multa tempora, a quo restat adirne vobis ite. viginti quinquē dierum; nullamque invenientis habitationem, sed bestias extraneas videbitis inauditas et infinitas. Ipsi vero signantes se signo salutiferre crucis, sequenti die iter ceperunt, dicentes: Exiit Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Trihus itaque diebus transactis, venerunt per asperas et devias montium solitudines, et ambulantes viam viginti dierum invenerunt feras silvestres, leones, tigrides, leopardos, ursos et vestigium unicornium; omnesque invocato beato Anthonio transierunt illresi.*

9. Tandem etenim venerunt prope quamdam eremum. Considerantes namque qua parte ituri essent, contra eos venit quidam, senex nimis et clarus facie ac aspectu decorus; et osculantibus se invicem recepit manus episcopi, et ihat cum eo usque ad portam ecclesie ipsius eremi. Tunc episcopus Theophilus ait ad senem: *Locus iste a quo primo constructus est et ordinatus? Aut quis dominatur ibi?* His et aliis sermonibus Theophilus episcopus interrogavit senem, et penitus nullum lahat senex responsum; sed manu silentium insinuabat. Illico intelligens episcopus Theophilus illius eremi regulam, clericos et fratres suos admoncbat dicens: *Ora, vestra, fratres, a locutelis servate, ne impediatur isti fratres;* et statim ille senex evanuit: quem postea episcopus scivit per revelationem fuisse B. Anthonium.

10. His admonitionibus dictis, statim exierunt de ipsa eremo duodecim fratres cum cappis laneis, crucibus et incenso: quia revelaverat eis Deus adventum eorum. Psallentes cum jubilo et dicentes: *Proficiscamur electi obicam invitanti; jubilemus Deo salutari nostro.* Et hac laude peracta, prior eremi osculatus est episcopum Theophilum et fratres suos per ordinem. Facta autem ei peracta pace inter eos vicissim, tulerunt eos in ecclesiam eremi et fratres illius eremi in claustro repererunt lavare pedes Theophili episcopi et fratrum ejus et decantare mandatum Ilovum. His itaque peractis, magno cum silentio duxit illos prior in refeclorium ul reficerentur, et pulsato signo, ablutisque manibus, fecit illos residere. Iterum pulsato signo secundo, surrexit unus e fratribus eremi et crepit ponere panem in mensa miri candoris et quasdam herbas et radices incredibilis saporis. Sedebant eremitum hospitibus suis mixtim: ponebatur unicuique secundum ordinem medium parvi panis. Pulsato signo, aqua in potu dabatur fratribus. Postquam igitur tribus vicibus biberunt, prior solito more signum pulsavit, et fratres simul cum omni humilitate et magno silentio et gravitate surrexerunt a mensa.

11. Antecedentes sanctos patres ad ecclesiam grahantur; post illos episcopus Theophilus et prior eremi, cantantes cum psalmista: *Justitiam tuam, Deus, misericordiam tuam, usque in finem per ordinem.* Cum aulem ecclesiam introissent, et illuc totum officium quod dicitur post comestionem, expletum esset, dixit prior eremi episcopo Theophilo: *Aqua vero quam modo bibistis, est de quodam fonte nobis a Deo parato, omnem sapientiam habente. Est etenim alius fons juxta nos turbidam habens aquam, quam tridistis; tribuit illum Deus patri nostro Anthonio, et de ipso lavavit pedes fratrum et hospitum quotidie, quia omni die calidus est.*

12. *Panes vero quos vidistis ante nos, incognitum est nobis ubi præparentur. Sed hoc scimus quia quotidie veniunt ad nostrum cellarium duo leones, de quibus scimus per revelationem quod sunt illi leones qui fuerunt cum sancto Anthonio ad fodiendum locum ubi positum fuit corpus sancti Pauli, primi eremitæ, cum tot panibus*  
 5 *quanti nobis sufficiunt omnibus. Et pro hospitibus similiter faciunt, quia beatus Anthonius pater noster ita dispositione Dei, quando hanc eremum construxit, ordinavit ac disposuit. Idem vero prædictus pater posuit et ordinavit nos hic viginti quatuor fratres. Sed in Resurrectione Domini et in dominicis et solemnitatibus apostolorum duplicant ipsi duo leones ex nutu Altissimi annonam, tribuentes uni-*  
 10 *cuique integrum panem. Tali etenim modo ut audistis, nutrit nos a tempore patris nostri Anthonii, qui hunc locum composuit, usque modo pius et misericors Dominus. Cum autem venimus ad missas et alia officia facienda, lampades nostræ in ecclesia, quam sanctus Anthonius in hac eremo in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ virginis construxit, ab eodem patre nostro Anthonio fuerunt accensæ et*  
 15 *manent usque modo et non sunt diminutæ. His dictis cum magno silentio, dixit prior episcopo Theophilo: Cantemus vesperam.*

13. Dum expleissent vesperam, Theophilus episcopus cœpit inspicere ecclesiam quam sanctus Anthonius construxerat, quomodo erat ædificata et mirabilibus ædificiis ornata. Erat enim constructa ex lapidibus nullo ligno existente, et qua-  
 20 *drata, et claustrum ibi juxta murum ecclesiæ. Sed ecclesia duas mensuras habuit plus quam bis tantum longa erat, et habebat quinque luminaria ante altare quod erat in medio, et duo ante alia duo altaria. Erant enim altaria de crystallo facta quadrata: et cetera vasa pro missa cantanda similiter de crystallo. Erant viginti quatuor sedilia ante altaria, sed sedile ubi prior eremi sederet sublime ab aliis,*  
 25 *diversis pretiosissimis generibus gemmarum et innumerabilibus margaritis ornatum mirificoque opere constructum. Erat enim positum inter duos choros magnificis ornamentis decoratum. Neque vero in ecclesia neque in tota eremo ullus strepitus vel aliqua vox audiebatur. Nec aliquis præsumebat absque prioris licentia loqui; sed quando aliquid necessarium erat alicui, frater ibat ad priorem, et genu*  
 30 *flexo et inclinato capite cum omni reverentia postulans in ceratis tabulis stilo designando quæ necessaria sunt. Ipse sicut bonus pater, ad exemplum patris sui sanctissimi Anthonii, unicuique secundum prudentiam suam tribuit necessaria.*

14. Tunc episcopus Theophilus dixit priori: *Quomodo potuit in humana carne*  
 35 *esse tam continuum silentium, sicut vidi inter fratres tuos teneri? Tunc prior ait: Pater, coram Redemptore fateor, quadraginta anni sunt postquam pater Anthonius recessit a nobis et posuit nos hic; ubi nullam humanam vocem nisi a vobis audivimus, excepto quod cantamus Deo laudes. Tunc episcopus Theophilus ait: Licet nobis, pater, hic esse vobiscum et est Dei voluntas? Qui ait: Cur me interrogas,*  
 40 *pater? Hoc compertum est nobis quia Deus revelavit tibi quid te oporteat facere, antequam huc venisses. Te enim cum fratribus tuis oportet reverti ad locum tuum. Cum autem hæc loqueretur, ecce illis videntibus avis quædam, alba sicut nix, ferens in ore ignem lucidissimum, et demissa est per quamdam fenestram, et*

accendit omnes lampades ante altare ipsius ecclesiæ et statim recessit, et lumen clarum dimisit. Theophilus autem hoc perpendens, interrogavit priorem eremi quid esset. Prior respondit: *Sciatis quia in omni festivitate paschali et beatæ virginis Mariæ et patris nostri sanctissimi Anthonii et in festivitibus apostolorum hoc facit.*

5

**15.** His et aliis dictis Theophilus cœpit narrare itineris sui causam et qualiter et quomodo missus fuerat ab imperatore Constantinopoleos pro filia sua liberanda, quæ erat a novem spiritibus immundis occupata, ut possit liberari; et quomodo spiritus immundi clamarent se ab ipsa non discedere, donec sanctum corpus beatissimi confessoris Anthonii viderent Constantinopoleos: *Et ideo partes maris 40 venimus et terræ, et certe ubi est sanctum corpus inventre minime potuimus. Sed vos, servi Dei altissimi, miseremini nostri intuitu pietatis et Dei. Si aliquid de tumulto tam pretiosissimi confessoris scitis, nos doceatis, et ut per vos tam pretiosissimum thesaurum invenire et Omnipotenti gratias referre possimus.*

**16.** Quo dicto, prior eremi respondit: *Patres mei et servi Dei excelsi, nos enim 45 Dominus in hoc loco precibus beati Anthonii posuit ut hanc vitam servaremus usque ad diem iudicii; qui recessit a nostris prædecessoribus cum duobus fratribus nostris, discipulis suis, cum Hylarione videlicet et cum quodam alio qui Prior vocabatur; et cum ipsis ordinavit per Ægyptum duodecim monasteria et revertens habitavit in Siphis partibus, in horribili et magna solitudine juxta Ægyptum, ubi 20 construxit oratorium et cellas multas; ac ibi cum fratribus suis demoratus est. Sed cum senilia membra non mediocre incommodum pulsaret et ad diem perveniret extremum, legimus quod præcepit duobus fratribus suis ut nullus præter illos sciret locum tumuli ipsius. Sed tempore procedente illa eremus destructa est a latronibus, et nescimus inde aliquid, nisi Deus per suam magnam misericordiam 25 revelaverit nobis. Stemus autem per tres dies et tres noctes in oratione, et oremus Dominum ut Deus ostendat nobis famulis suis viam eundi ad locum in quo positum fuit tam pretiosissimum corpus. Et ita factum est.*

**17.** Peracto vero jejunio cum omni oratione et humilitate, ecce angelus Domini Gabriel, cum missa cantabatur, qui quemdam chirographum in manibus 30 tenens et ponens super altare beatæ Mariæ virginis ante priorem. Sed omnes fratres qui aderant in ecclesia, præ timore angeli proni in terram ceciderunt velut mortui. Et ait priori monasterii: *Accipe chirographum et lege, et quidquid ibi dicitur faciatis per ordinem, quoniam exaudita est oratio vestra.* Et recessit angelus ab eo. Prior vero elevans caput, neminem vidit; et respiciens retro, vidit omnes fratres 35 suos pronos jacentes in terra. Qui ait eis: *Surgite, fratres, nolite timere, et statim ad vocem ejus surrexerunt.* Et ait prior: *Fratres et patres mei, visio quam modo vidistis, fuit angelus Gabriel, summi Dei nuntius, qui nobis apparuit et dedit nobis hunc chirographum, ut muniatis vos signo salutiferæ crucis et eatis per viam directam; quia Deus semper vobiscum erit, et adimplebit desiderium vestrum. Et ecce 40 apparebit vobis quædam stella lucidissima omni splendore repleta, et præcedet vos et stabit supra ubi positum est corpus beati Anthonii. Ibi vero cum orationibus fodientes invenietis pretiosissimum corpus ejus. Quo audito chirographo, celebra-*

taque missa a priore, episcopus Theophilus accepta benedictione cum fratribus suis ac depingens in fronte sua signum sanctæ crucis et valedicens fratribus eremi, recessit.

### Inventio sancti Anthonii.

5 18. Exeuntibus illis de eremo, apparuit eis lucidissima stella sicut sol, ut dice-  
batur in chirographo, et anteibat illos: et ecce quædam vox intonuit, dicens:  
*Sequimini stellam*, Et secuti sunt eam, ac omnipotentis Dei et Creatoris omnium  
cum clamore et lacrimis adjutorium postulare cœperunt. Inde vero profecti sunt  
40 per aspera et devia montium in plano Joseu, in quo herbas et poma incredibilis  
saporis et odoris invenerunt, ac de ipsis accipientes comederunt, et Deo laudes  
reddiderunt. Postea iter arripientes, devenerunt inter montes altissimos et terri-  
biles ubi non intrat sol nec arbor vel herbæ crescunt; sed serpentes, dracones  
innumerabiles, leones, tigrides, pardos, sorices sicut volpes, aspides, basiliscos et  
unicornes invenerunt infinitos et alias innumerabiles feras, quarum nomina sive  
45 naturas penitus ignorabant. Sed manu Altissimi ipsos protegente qui non dormit  
neque dormitat, illæsi pertransierunt. Stella autem nunquam ab eis cessabat. Post  
vero decem et novem dies ipsis euntibus pervenit ad nares eorum pessimus et  
intolerabilis fœtor, de quo sicut mortui proni in terram oraverunt ad Dominum ne  
tolleret animas eorum. Post hæc autem surgentes viderunt lacum magnum et  
20 multitudinem serpentum ignitorum. Et ex ipso lacu exivit ululatus et planctus  
non modicus, et vox desuper prorupit dicens: *Locus pœnarum est iste et judicii,*  
*in quo cruciantur omnes qui Christum perjurando et debitam fidem non servando*  
*negaverunt et mandata ejus non custodierunt.* Ipsi vero has voces audientes perter-  
riti, locum illum pertransierunt illæsi.

25 19. Inde igitur egressi, cum quadraginta dierum viam fecissent, devenerunt  
ad locum admirabilem et campum parvum sed gloriosum, qui omnibus generibus  
arborum plenus, dulcissimis ac odoriferis redundabat fructibus; super quem  
locum stella quæ antecedebat eos stetit immobilis, et vox ad eos facta est: *Fodite*  
*hic et invenietis thesaurum pretiosum.* Ipsi vero nescientes in quo loco ipsius  
30 campi foderent, ecce quædam avis alba sicut nix rubeum habens rostrum apparuit,  
stetitque supra quamdam arborem quæ facta erat in modum tentorii; et ibi mana-  
bat fons irriguus, omnem saporem in se retinens et suavissimus tanquam nectar;  
et cœpit sonare alas suas sicut tintinnabula, quasi diceret et demonstraret ut ubi  
foderent. Tunc episcopus Theophilus cum clericis projecerunt se in oratione, et  
35 omnes similiter orabant. Tandem vero audierunt suavissimas cantilenas et odori-  
feras super eos. Tunc episcopus Theophilus dedit laudem Deo dicens: *Deus condi-*  
*tor et revelator omnium absconditorum, tu nosti causam mei itineris; flagito cle-*  
*mentiam et majestatem tuam ut mihi infelicissimo peccatori per tuam immensam*  
*misericordiam revelare digneris secretum tuum, et mitte nobis aliquam animam cujus*  
40 *adjutorio possimus fodere et invenire thesaurum petitem.*

20. Et cum hoc dixisset, ecce a longe venerunt duo leopardi, currentes a parte  
solitudinis. Quibus visis timore perterriti iterum ad Creatorem omnium cor eorum



referentes, statim sine omni pavore permanserunt. Et illico quasi fumus aromatum desuper ubi erat corpus beati Anthonii ascendens videbatur eis tangere cœlum. Leopardi adulantibus caudis circa pedes episcopi accubuerunt, vocibus magnis clamantes, quasi dicerent ut eis episcopus imperaret, et doceret ubi foderent. Sic manu insinuavit eis locum ubi foderent. Ipsi vero cœperunt pedibus 5 humum scarpere, terram certatim fodientes, donec appareret sarcophagum in quo repositum fuerat corpus sanctum, ultra procedere non audentes. Hanc igitur episcopus cum clericis suis subintrans foveam, invenit lapidem et loculum in quo erat scriptum litteris græcis et hebraicis qualiter ibi corpus sancti Anthonii ab Hylarione et Priore cum discipulis suis fuisset reconditum. Titulum itaque legentes 10 gavisus sunt gaudio magno valde. Et voces angelorum suavissimas audiebant cantantes et laudantes Dominum; et elevantes lapidem, suavissimus et odoriferus odor innotuit, ita ut viderentur eis esse in paradiso. Invento autem tam pretiosissimo thesauro, invenerunt corpus ejus vestitum cilicio facto de corio et desuper vestitum vestimento de palma contexto quod beatus Paulus primus eremita fecerat. 15 Elevantibus autem illis tertio idus Junii, omnis illa provincia fragrabat ineffabili odore. Prædicti vero leopardi non separabantur ab eis. Episcopus cum clericis corpus ejus, quod nondum erat solutum, tollentes et hymnum cantantes, viam qua venerant aggressi sunt, sicque cum prædictis leopardis et cum sancto corpore stella ducente, reversi sunt ad prædictam eremum cum maxima salute. 20

**21.** Prior vero eremi cum omnibus fratribus suis, cum crucibus, incenso et et aqua benedicta, psalmis et orationibus, cum omni reverentia exierunt obviam tam pretiosissimo thesauro. Et ecce quinque viri leprosi venerunt venientes et implorantes sanctum Anthonium ut eos sanaret; et ut perducti sunt ad feretrum in quo sanctum corpus jacebat, obtentu sancti Anthonii illico sanati sunt, Deo 25 gratias reddentes. Dimissoque in dicta eremo vestimento quod erat contextum de palma et accepta benedictione a priore et fratribus eremi, viam aggressi sunt cum sancto corpore. Duo vero fratres eos secuti sunt.

**22.** Qui peracta via decem dierum, prope quamdam semitam invenerunt tria corpora mortuorum a feris silvestribus occisa. Qui videntes timuerunt valde, 30 et imponentes loculum ubi erat sanctissimum corpus super cadavera mortuorum, ait episcopus Theophilus: *In nomine Domini nostri Jesu Christi et in honore sancti Anthonii, surgite;* et statim qui jacebant surrexerunt, statimque ante loculum sancti corporis se proni in terram jactaverunt et cœperunt clamare et dicere quemadmodum ducebantur ad loca tormentorum ab inimicis humani generis, et 35 orationibus et precibus beati Anthonii sunt liberati. Sed cum episcopus Theophilus interrogaret eos ad quem locum fuerant destinati, illi in lacrimis erumpabant, dicentes: *In maximo factore et igne missi eramus, et tota anima nostra consumebatur.* Hæc audiens episcopus in lacrimas prorupit, dicens: *Dicetur homini illi Vx, qui mandata Dei non custodit, quia illuc transmittetur.* 40

**23.** Inde ergo cum duobus leopardis et tribus hominibus quos sanctus Anthonius suscitaverat egredientes, viam viginti dierum per aspera et devia montium ambulantes et feras silvestres multas invenientes, leones, tigrides, pardos, ursos,

dracones et alias innumerabiles bestias; omnesque illæsi invocato sancto Anthonio pertransierunt, ipsius gratia protegente, usque ad flumen Nili in quemdam vicum nomine Ephesos. In dicto vico quemdam virum fortissimum et ditissimum, nomine Daniel, de regali stirpe natum, a dæmonibus raptum, et omnia membra  
 5 ejus erant onerata ferro, invenerunt. Audiens autem de adventu sancti corporis tantam gratiam, prorumpens de manibus eorum qui eum tenebant et exiens usque ad flumen Nyli pervenit, et dæmones alta voce clamabant: *Anthoni, noli nos ita fortiter cruciare*. Et similiter Daniel clamabat clara voce: *Sanctissime pater, confessor Anthoni, solve miserum, solve captivum*. Nam ex uno hominis ore  
 40 multæ ac diversæ voces et quasi confusus populi clamor audiebatur, et tota gens illius vici post eum currens ubi currerent nesciebant, sed ad vocem ejus audierunt quod corpus beati Anthonii esset ibi. Omnibus videntibus, statim ut tetigit loculum sancti corporis, illic curatus est, clamantibus dæmonibus: *Cur nos, Anthoni, de domo nostra expellis?*

15 **24.** Et ita per aera clamabant: *Transit hic qui nos urit, cruciat et flagellat*. Et clamabant: *O Anthoni, noli nos tam fortiter cruciare*. Ipsi namque de castro hæc audientes magis et magis timebant, ac ipsi exeuntes et descendentes devenerunt ad locum ubi erat sanctum corpus, et videntes Theophilum episcopum et fratres ejus et leopardos cum eis, cœperunt quærere quid hoc esset. Episcopus respondit  
 20 et dixit: *Nos sumus de Constantinopoleos, nuntii serenissimi et magni imperatoris Constantii; qui fere totum orbem rimati sumus pro tam pretioso corpore quod invenimus et hic habemus nobiscum*. Quo dicto, ecce vox insonuit de castro, dicens: *Succurrite, quia decem lupi intraverunt castrum et omnes bestias occiderunt et deportaverunt quinque infantulos*. Cumque omnes occurrerunt et sanctum Anthonium invocarent, omnes lupi steterunt, ac recidentes ad feretrum sancti Anthonii,  
 25 sicut essent rationales animæ, se prostraverunt quasi veniam postulantes; et omnes bestię sanatæ sunt et parvuli illæsi permanserunt. Et sic Deo gratias egerunt.

**25.** Deinde navem introeuntes, cum maximo labore navigantes, intraverunt portum civitatis Alexandriae, et terræ motus factus est ingens; dæmones vero  
 30 per aera clamabant: *Noli nos cruciare, sanctissime Anthoni*. Ac omnes de civitate currentes ad portum maris, navem in qua sanctum corpus jacebat repperunt. Omnes autem infirmi veniebant, et tangebant loculum sancti corporis, et statim sanabantur de quacumque tenebantur infirmitate; ibique multis surdis reddidit auditum et mutis loquelam. Theophilus vero episcopus exiens de navi in terram,  
 35 fecit naves suas aptari. Fama autem Anthonii cœpit crescere per totam terram Alexandriae.

**26.** His vero diebus Effron, filius cujusdam militis Alexandriae, Madyan, accusatus est ad præfectum se quoddam facinus perpetrasse. Qui vocans eum ante se, judicavit ad mortem præcepitque eum suspendi. Sed cum duceretur ad suspendium,  
 40 parentes et amici ejus et omnes de civitate clamabant: *Sanctissime pater Anthoni, succurre et adjuva famulum tuum Effron, et libera eum de manibus impiissimi Mandaber, præfecti Alexandriae*. Sicque projiciebant se genu flexo ante loculum in quo erat sanctum corpus. Mandaber vero præcepit ministris suis, ut ipsum

super arbores altas laqueo suspenderent. Qui jussionibus ejus obtemperantes laqueum in collo ejus mittentes suspenderunt. Sed nullo modo os ejus stabat quin sanctum Anthonium invocaret, ut eum adjuvaret. Parentes et uxor ejus capillis sparsis, amici et consanguinei genu flexo flebant et nomen sanctissimi confessoris Anthonii invocabant, dicentes: *Sancte pater Anthoni, succurre et adjuva famulum tuum Effron, et libera eum innocentem atque inculpabilem.* Sicque diu credentes ipsum suspensum, reversi sunt in civitatem. Pater vero et mater, uxor et amici et consanguinei ejus post VIII dies et VII noctes perrexerunt ad locum ubi Effron fuerat suspensus, putantes eum a feris silvestribus membratim esse discerptum. Cum autem appropinquassent, dictus Effron humili prece clamare cœpit et dicere: *Pater mi, curre et de his arboribus descendere me festina.* Qui vocem ejus audientes cœperunt voces magnas mittere propter lætitiā; et appropinquantibus illis propius magis clamabat: *Succurrite et de hac arbore me deponite.* Pater vero magnis vocibus clamabat: *Vivit filius meus, lumen oculorum meorum?* Qui respondens ait: *Vivit, pater mi. Nam ex quo fui hic positus, sanctus Anthonius quem omnes alta et supplici voce invocabamus, per capillos me manibus suis cepit desuper. Quidam vero alius, ejus socius, duas alas habens et pulcher facie, manus meas tenuit. Et ita sum jam octo dies et septem noctes absque cibo et potu, refectus verbis eorum.* Et ita Creatori suo et beato Anthonio, cujus precibus est liberatus a morte turpissima, referunt laudes et laqueum inciderunt. 20

27. Sicque cum maxima lætitiā et reverentiā cum Effron revertebatur ad portum maris, ut viderent loculum ubi sanctum corpus jacebat et ipsi gratias redderent. Cumque hæc essent Mandaber præfecto nuntiata, illico cum tota civitate pervenit ad portum, et videns Effron quem suspendi præcepit, cœpit eum interrogare et dicere ut ei insinuaret et diceret quis esset ausus eum deponere et liberare. 25 Ille humili voce respondens: *Cum enim essem suspensus, venit ad me quidam senex nimis senectutis et gravitate plenus, barba proluxa et nivea et capillos habens longos et albos, et tenuit me per capillos et dixit: Noli timere, quia ego sum quem invocasti. Cumque interrogassem eum quis et unde esset, dixit: Ego sum Anthonius, Domini Jesu Christi servus, quem tam fortiter invocasti. Et cum quodam socio suo duas alas habente tenente manus meas et me admonente, nullam sensi læsionem nec aliquam famem.* Cum autem hæc et his similia audisset præfectus Alexandriæ de sancto patre, statim discalciatis pedibus perrexit ad loculum ubi erat corpus sancti Anthonii atque genu flexo orabat, ut ipsum in civitate posset ducere. Et advocans ad se XI viros religiosos ac Deum timentes, ait illis: *Accipite loculum et deferte in civitatem.* Cum ergo irent ad loculum sancti patris tollendum et vellent tangere, illico ceciderunt in terram. Et per VII horas quasi mortui in terram prostrati permanserunt. Cum hæc præfectus vidisset, magis timuit. Et posito loculo sancti corporis super eos, statim surrexerunt. Postea vero non sunt ausi tangere. Sed præfectus petiit episcopum Theophilum ut aliquod de vestimentis sancti patris ei daret. Ipse 40 accipiens medietatem cujusdam vestimenti quod habebat sanctus pater Anthonius, dedit ei. Ipse vero cum maximo timore et reverentiā accipiens, reversus est ad civitatem. Statimque quoddam oratorium maximum fabricari fecit, mirabili

opere pulchrum, ad memoriam et honorem beatissimi Anthonii. In quo nomen ejus in æternum est honorificatum, ac omni modo laudatum et exaltatum.

28. Episcopus vero Theophilus cum fratribus suis et cum Efron et duobus leopardis et duobus lupis et cum aliis qui ibi erant, ingressi sunt navem cum sancto  
5 corpore, hymnos et laudes canentes, et cœperunt navigare contra Hierosolimam. Sicque timentes noluerunt intrare Hierosolimam. Sed dæmones per aera semper vociferabantur et clamabant : *O Anthoni, noli nos tam fortiter cruciari ; miserere nobis : ignis nos acriter urit.* Et sic venerunt Hierosolimam. Et noctu inde progredientes, invenerunt quemdam cæcum et claudum stantem juxta civitatem strata  
10 publica, et mendicabat. Qui cum audiret clamari a spiritibus immundis per aera nomen sancti Anthonii, statim ut sensit eos juxta se cœpit clamare et dicere : *O sanctissime Anthoni, redde mihi lumen et pedibus meis gressum.* Et non desinebat clamare. Cum autem appropinquasset loculum sancti corporis et tetigisset vestimentum in quo erat involutum sanctum corpus, et linisset episcopus oculos suos,  
15 statim redditum est ei lumen et ambulare cœpit sicut prius. Ipse vero currens in civitatem, clamabat : *Transit hinc Anthonius qui me sanavit.* Sicque currentes extra civitatem et non invenientes, mœsti facti sunt valde. Ipsi vero per totam noctem ambulantes, audiebant semper super eos tam odoriferos cantus et voces quod videbatur eis esse in paradiso. Legiones angelorum semper ante loculum  
20 sancti corporis laudes cantabant, donec venerunt Colonam maritimam.

29. Et invenientes naves euntes Constantinopoleos, convocantes ductores navium dixerunt eis : *Fratres, nos volumus ire Constantinopolim et deferre nobiscum maximum thesaurum quemdam ; pro quo poteritis habere remunerationem.* Sicque dederunt eis cxx aureos. Qui dixerunt episcopo Theophilo et fratribus suis :  
25 *Ascendite navem.* Cum detulissent sanctum corpus et misissent in navim et intrassent, spiritus immundi clamabant : *Sancte Anthoni, noli nos cruciari. Sine nos liberos abire.* Cum autem naucleri navium hoc audissent, cœperunt dicere episcopo et aliis qui cum eo erant : *Cur nobis celastis tam pretiosum thesaurum ? Nos enim servi ejus sumus, et multotiens ipsum in magnis fluctibus et tempestatibus invocamus, et apparuit supra proram navis, et vidimus eum et misertus est nobis, et ideo  
30 non debebatis nos verbis detinere et celare tum sanctissimum thesaurum.* Et retulerunt eis pecuniam quam episcopus dederat eis pro pretio et reddiderunt. Statimque facientes magnos cereos et candelas multas, fecerunt accendi ante loculum sancti corporis.

35 30. Dæmones vero semper per aera plangebant et magnas voces emittebant. Et cum omnes navem intrassent, navis per se separata a terra sine labore est. Et navigantibus illis per alta maria, ecce maxima tempesta apparuit, ita ut viderentur de salute desperare. Sed cum sanctum Anthonium invocarent devotissime, ecce apparuit sanctus Anthonius supra proram navis, pulchram faciem habens,  
40 baculum in manu se sustinendo ferens, confortans eos et dicens eis : *Ego sum, nolite timere.* Quo dicto tempesta sedata est. Et facta est tranquillitas magna et ventus prosper apparuit. Et navigantibus illis per tres dies et totidem noctes, ecce ventus fortiter flans apparuit, velum extendens versus aquilonem. Et videbatur

episcopo quasi desperare. Qui se projiciens ante corpus sanctum in oratione ait : *Sancte pater Anthoni, libera nos et vias directas demonstra nobis et noli nos derelinquere.* Sicque ferebatur navicula bene per quadraginta dies contra voluntatem eorum versus aquilonem, non observando viam directam versus Constantinopoleos. 5

**31.** Transactis vero diebus quadraginta, viderunt a longe quamdam insulam magnam, terribilem et saxosam per totum ; et paucas ibi arbores viderunt, et erat plena officinis fabrorum. Et vox ad eos facta est : *Nolite expavescere, nolite ipsis appropinquare.* Cum autem ibi prope per jactum lapidis transirent, audierunt quasi tonitrua magna et videbatur eis quod tota insula moveretur. Cum autem citius 10 navigassent et signo crucis se munissent et audissent collisiones ferrorum et incudes, projecit se episcopus Theophilus ante loculum sancti corporis Anthonii et ait : *Sancte pater Anthoni, libera nos tuis precibus de hac insula.* Quo dicto, ecce duodecim ex habitatoribus illius insulæ veniebant foras ad aliquod opus faciendum. Erant magni decem pedum in altitudine et tenebrosi et ignei. Cum autem 15 vidissent famulos Dei transire per ipsam insulam, cœperunt mugitus mittere, revertentes ad officinas suas ; et omnes de navi iterum se signo crucis armaverunt et cœperunt navigare quam citius potuerunt. Et ecce postea viderunt venire fere centum et quinquaginta de habitatoribus illius insulæ, forcipes portantes in manibus et furcas ferreas cum clavis igneis. Qui illico super famulos Dei frementes, 20 volebant eos ardere. Sed angelus Domini existens videntibus illis sub loculo in quo sanctum corpus jacebat, percussit eos ac demergi fecit in mare. Cum autem cecidissent in mare, tota pene aqua combusta est usque ad profundum. Et per totam diem navigantes semper ululatum nimium audiebant.

**32.** Deinde progredientes et navigantes pro posse, prosperum facientes iter, 25 post quadraginta dies et totidem noctes, semper redemptorem suum collaudantes qui de eorum manibus illos liberavit, reversi sunt cum summa laude et invenerunt portum Calcedonis, et dæmones semper clamabant : *O sancte Anthoni, noli nos tam fortiter cruciari.* Omnes vero de civitate ad portum currentes et tangentes loculum sancti corporis, a quacumque detinebantur infirmitate illico sanabantur. 30 Sicque ibi cæcis visum, claudis gressum, multis surdis reddidit auditum et mutis loquelam ; et multi veniebant a dæmonibus possessi et tangebant loculum sancti corporis et liberabantur. Facientes autem dies aliquos ibidem, et collaudantes Dominum, et inde itinere arrepto sic postea devenerunt Sosas. Sed omnes de civitate currentes ad portum, quia dæmones per aera clamabant : *Transit hic 35 Anthonius qui nos flagellat.* Sed quidam magnus vir de ipsa civitate, nomine Fronder, unicum habens filium nomine Abaron, faciem habentem a nativitate contra naturam, venit et projecit se ante loculum sancti corporis Anthonii, eum orans et obsecrans ut suo pignori subveniret. Et elevatis illis ab oratione, statim sanata est facies ejus. Ipsi læva manu intrantes et ambulantes, Christi comitante 40 gratia, devenerunt ad civitatem Staurium prope Constantinopoleos.

**33.** Et omnes de civitate audientes cursu devenerunt ad portum. Spiritus vero immundi qui corpus Sophiæ, imperatoris filiæ, tenebant obsessum, clamabant per

os puellæ et dicebant: *Ecce properat qui nos hinc erit expulsurus.* Et magnis vocibus clamabant: *O Anthoni, cur tam cito properasti huc venire et eripere nos de habitatione nostra quam inhabitavimus VII annis? Sed accelera et noli nos tam fortiter cruciare.* Imperator Constantius hæc audiens fecit naves et omnia genera  
 5 musicorum et instrumentorum præparari et mitti in navibus et omnes clericos civitatis sacris indutos, cum crucibus et orationibus et psalmis et incenso et aqua sancta, et ascenderunt naves. Et cœperunt navigare contra corpus. Cumque navem a longe venire vidissent, manus alte levaverunt et sanctum nomen invocabant dicentes: *Miserere nostri, Domine, miserere nostri precibus beati Anthonii quem*  
 40 *jam expectavimus, et ostende nobis ista quæ vidimus mirabilia tua.* Cum autem propius appropinquassent et vidissent se invicem prope et oscularentur se ad invicem, et pacem dedissent, ait episcopus Theophilus Constantio imperatori: *Bona hora concepit te mater tua, quia meruisti invenire ac possidere tam pretiosissimum thesaurum. Recordare itaque quanta beneficia dedit tibi Deus in hoc seculo.*  
 45 *Modo veni, quia filia tua liberata est.* Et inclinans se, discalceatis pedibus oravit diu ante loculum pretiosissimi corporis. Cum autem pervenissent ante fores Constantinopoleos, cum omni genere instrumentorum musicorum et cum omni reverentia intraverunt civitatem. At imperator et omnes de civitate cereos magnos in manibus portantes et ponentes pretiosissimum corpus super carrucam, et jun-  
 20 gentes duo paria vitulorum indomitum cœperunt venire ad locum qui vocabatur *insentino*, ubi quidam eremita steterat. Ibi vero erant duæ viæ, quarum unius iter ibat ad quemdam alium locum quem imperator Constantius in honore sancti Anthonii construi fecerat, mirifico opere fabricatum; et volentes ire ad ipsum locum vituli non permittebant per viam illam ire. Qui adjungentes tria paria boum  
 25 nec movere valebant. Episcopus vero Theophilus dixit: *Sinamus eos ire, et vadant ubicumque voluerint.* Qui mox per viam quæ ad Sanctum Sophir iter habebat alacriter ire cœperunt. Et ut pervenerunt ante fores ipsius ecclesiæ Sancti Sophir, filia imperatoris Sophia quæ erat ab immundis spiritibus occupata, catenis ligata cum multo pondere ferri adducta est ante loculum in quo sanctum corpus jacebat,  
 30 et projecit se ante eum. Dæmones vero clamabant: *Noli nos igne cremare, sancte Anthoni; sed cito nos erue de hac domo.* Episcopus autem et imperator cum omnibus stabant in oratione expectantes miraculum Dei. Cum in oratione perseverassent, spiritus immundi cum magnis ululationibus et vocibus, tonitruis et terræ motibus exierunt de ipso corpore deligato, ac ipsam feminam in terra reliquerunt.  
 35 Episcopus vero accipiens lævam ejus, erexit eam a terra. Ipsa vero clamabat: *Nolo amodo separari a tam pretiosissimo thesauro, quia modo in somnis vidi dominum meum Anthonium, heremitarum tenentem habitum, habentem manus spirituum immundorum ac ipsos fortiter flagellantem.*

34. Sicque cum ingenti lætitia Constantinopoleos intraverunt, et magna cum  
 40 devotione Deo gratias referentes corpus sanctum detulerunt. Fecit autem imperator Constantius fabricari quoddam monumentum ex ebore et auro et gemmis pretiosis, mirabili opere ornatum, in quo sanctum corpus cum ingenti ac summa gloria miserunt, ac duodenis munierunt sigillis, imponentes desuper titulum græcis

et hebraicis litteris factum, dicentem : " Hic corpus Anthonii confessoris et eremitæ  
requiescit, a desertis Ægypti translatum a Theophilo episcopo. , Duo autem leopardi  
qui cum eo de Ægypto venerant, cum duobus lupis toto tempore vitæ suæ ad tumu-  
lum ejus custodiendum permanserunt. Quicumque autem ibi veniebat, a beatissimo  
Anthonio confessore juste invocato a quacumque detinebatur infirmitate sanaba- 5  
tur. De ipso autem sepulcro suavissimus ac odoriferus odor emanabat, ac si  
omnia aromata ibi essent congregata. Si quis autem puro corde magnaque devo-  
tione sanctissimum confessorem Anthonium et eremitam honestis precibus pulsa-  
verit pro quibuscumque necessitatibus, illico se sentiat impetraturum. Ad laudem  
et gloriam Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in secula seculorum. 10  
Amen.

---